



33

SS

RECTOR
ACADEMIAE WITTENBERGENSIS,
D. JOHANNES

Deutschmann

PROF. PUBL. PRIMARIUS, THEO-
LOGUS SENIOR, TEMPLI ACAD.
PRAEPOSITUS, ET ALUMNORUM ELE-
CTORALIIUM EPHORUS,

CIVIBUS ACADEMICIS

S. P. D.

33

RECTOR
ACADEMIAE WITTENBERGENSIS
D. JOHANNES

Meuschenmann

PROF. PUBL. PRIMARIUS, THEO.
LOGUS SENIOR, TEMPLI ACAD.
PRAEPOSITUS, ET ALUMNORUM ELE.
CTOR ALUM. HONORIS

CIVIBUS ACADEMICIS

1717



I. N. S. T.



Quàm ampla sunt opera tua, ô Jehova, quàm ea omnia sapienter fecisti! Hæc Davidis exclamatio est, Psal. CIV, 24. vera sanè & necessaria. Magna enim sunt opera Jehovæ, exposita omnibus, qui delectantur illis, Psal. CXI, 2. His, si mediocri cum studio ea scrutantur, exclamandum certè cum Paulo est: O profundas divitias tum sapientia, tum cognitionis Dei! quàm inscrutabilia sunt Ejus judicia, & Ejus via impervestigabiles! Quis enim cognovit mentem Domini? aut quis Ei fuit à consilio? Rom. XI, 33. 34. Neque id mirandum est. Quod si enim peccaminosus & infirmus homo nihil agere debet, nisi quod cum Sapientiâ congruit, quanto magis id à Deo Sanctissimo expectandum est. Jam vero illud ab homine requiri, Christus, Sapiencia Dei Ipsa, elegantissimè expressit: Quis ex vobis, inquit, si velit turrim adificare, non prius considens computat sumtum, an habeat, quæ ad ejus perfectionem requiruntur? ut ne, postquam statuerit fundamentum, & nequiverit eam perficere, omnes, qui spectarint, incipiant illi illudere, dicentes: homo iste cepit adificare, & nequivit ædificium perficere. Aut quis Rex proficiscens, ut committat prælium adversus alterum Regem, non prius consultat considens, an possit cum decem millibus occurrere illi, qui cum viginti millibus venit adversus ipsum? Alioquin cum adhuc ille procul est, legatione missa, rogat ea, quæ ad pacem spectant. Luc. XIV, 28. - 32. Unde idem Christus discipulis dicit: Estote prudentes, ut serpentes.

X 2

Matth.

Matth. X, 16. Quod idem commune & catholicum Dei mandatum est: *Deut. XXIX, 9. Prov. XVII, 24. c. XXI, 12. Col. IV, 5.* Hoc igitur cum ab homine requiratur, quis, obsecro, non multo potius in Deo, à quo omnis sapientia promanat, non inveniatur? Quemadmodum ergo hic omnia sapientissimè ordinavit, ita non minus quoque illud fecit in determinando tempore, imò & die, quo Christo ex mortuis resurgendum erat? Est verò is dies Domini, ceu appellatur, Apoc. I, 10. qui secundum Judæorum consuetudinem primus hebdomadis dies, quod est, primus post diem Sabbathicum, nuncupatur. Marc. XVI, 2. Scrutari hic licebit, & modeste, non superstitione, non phantastice, non irreligiose, rimari, quasnam causas Deus habuerit, ob quas Christo non die secundo, tertio, aut etiam quarto, aut quinto, aut sexto, resurgendum ex mortuis fuerit? Et cur determinate & definite die illo, qui nobis Christianis Dominicus nuncupatur? Habuisse Deum hujus sui consilii causas, nemo negabit. Utrum verò easdem homo, veras, omnes, singulasque possit deprehendere, id ambiguum est. Quanquam enim uniuscujusque rei rationes dari queant, manifestum tamen est, de multis quæri posse, an sint genuinæ? Est enim hominis post lapsum Intellectus debilis admodum & imperfectus. Nunc novi aliquatenus, inquit Paulus, 1. Cor. XIII, 12. Ex parte enim cognoscimus, addit v. 9. unde fieri facile potest, ut homo in cognoscendo deficiat. Quando tamen Deo non displicet, si homo modeste & sobrie in causas, Verbo divino consonas, quas Ille, sui facti habuit, inquirat, age, faciemus illud & nos excitandæ pietatis causa, & in solius Dei honorem. Et poterat quidem quis extemplò hic respondere, difficile non esse ad eam Quæstionem respondere, ipsum enim

enim

enim Deum id revelasse, *Jon. II, 1. Matth. XII, 40.* Verum expendendum huic esset, redire quaestionem, *cur Deus ab aeterno decreverit, ut Christo die Dominico resurgendum esset?* Quando enim illud prius decrevit, postea etiam per Jonam & Christum hominibus revelavit. Videtur ergo operæ pretium esse, si aliò ad eandem quaestionem modò respondeatur. Nimirum, quemadmodum Deus in V. T. Israelitas à cæteris Gentibus in multis volebat distingvi, præcipuè autem in verò Dei veri & unius cultu; ita non minus Eidem placuit, ut Christiani in N. T. à Judæis atque Turcis distinctissimi viverent, ne, qui cultu divino & religione sunt diversissimi, die, quò præcipue à suis vult coli, non distingverentur. Eum proinde sibi diem, quò resurgeret, elegit, qui non solum cultui, quem poscit, aptissimus est, sed & cum Judæorum & Turcarum cultu nihil commune habet. Sicuti enim *Turca Veneris*, ita *Judei Saturni diem* cultui, quem divinum putant, consecrarunt: Christus vero ab his abiens *Solis diem* malebat, utpote in quo *Sol Justitiæ* ex mortuis vivus est ortus, suis vivus apparuit, suos docuit & consolatus est. Postquam Deus populum Judaicum ex Ægypto eduxerat, injungebat eidem, ut diem illum sanctum haberet. Ita enim per *Mosen, Exod. XXXI, 13.* dicit: *Videte, ut Sabbatum meum custodiatis, qui signum est inter me, & vos, in generationibus vestris, ut sciatis, quia ego Dominus, qui sanctifico vos.* Jam quod nos, quid? quod universum Genus humanum concernit, majora Deus fecit, dum à morte, ab inferno, à peccatis, à legis maledictione, à Diabolo, nos omnes redemit. Vicit enim *Leo de tribu Juda, Apoc. V, 5. Absorpsit mortem in Victoriâ. Ubi tua, ô mors, victoria? ubi tuus, ô sepulcrum, aculeus? Deo autem*

habemus gratiam, qui dedit nobis victoriam, per Dominum nostrum Jesum Christum. Hof. XIII, 14. 1. Cor. XV, 54. 55. 57. Hunc ergo diem præ cæteris electum esse, quis mirari poterit? Pulchre de hac re Explan. in Psalm. CXVII. sub Hieronymi Patris nomine: *Quid hac die felicius, in qua Dominus Judæis mortuus est, nobis resurrexit? In qua Synagoga cultus occubuit, & ortus Ecclesie: In qua nos homines fecit secum surgere, & vivere, & sedere in cœlestibus, & impletum est illud, quod ipse dixit in Evangelio: Cum autem exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me. Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus & letemur in ea. Omnes quidem dies fecit Dominus, sed cæteri dies possunt esse gentilium: Dies Dominica, dies resurrectionis, dies Christianorum, dies nostra est. Sepeliebatur ergo Synagoga die sexta, ut reprobaretur simul Turcismi cum Judaismo conformitas; Mortua permanebat die septimâ, ut prima deinceps dies evaderet Dominica & Christiana, quæ separaret Christianos à Judæis æque, ac Turcis clarissime. Porro is dies, quo Christus resurrexit, jure suo merebatur, ut præ cæteris Deo sanctissime coleretur. Colitur autem tunc optime, quando fides in Christum se recte habet. Jam ergo, quemadmodum Salvator hoc die à mortuis resurrexit, ita hoc etiam die in primis ea fides publice erat expendenda, & exponenda. Quod si enim de ullo fidei Articulo dicitur, quod creditu necessarius sit, dicitur illud certe de Christi Resurrectione. Unde Paulus 2. Tim. II, 8, *Memor esto, Dominum Jesum Christum resurrexisse à mortuis.* Quin imo absque hac fidei parte præcipua, cætera fides vana & nulla est. Quod si enim Christus non est suscitatus, inanis est fides vestra: adhuc estis in peccatis vestris, iterum asserit Paulus Corinthiis suis, 1. Epist. XV, 17. U.*

17. Ubi verò fides de Christi Resurrectione se recte
habet, cætera quoque salva erunt. Animat enim hæc
fidei pars reliquas ejus partes. Dum enim credi-
mus, Christum ex mortuis resurrexisse, certi quoque
evadimus eum, qui pro nobis mortuus est, esse Domi-
num vitæ, qui, tametsi crucifixus sit ex infirmitate, vivat
tamen ex virtute Dei, & nos quoque simul vivificet.
Nam & infirmi sumus in eo, sed vivi erimus cum eo eadem
Dei virtute: 2. Cor. XIII, 4. Unde hæc etiam resurrectio-
ne declaratus est Jesus, Filius Dei in virtute, Rom. I, 4. Hæc
est illa Evangelizatio, seu Evangelii prædicatio, quæ
in primis die Dominico urgenda est. Act. XIII, 32. seqq.
Accedit, quod hic demum dies Redemptionem & Justi-
ficationem certam nobis reddiderit. Nam si credi-
mus in eum, qui suscitavit Jesum Christum, Dominum nostrum,
à mortuis, reputabitur id nobis ad justitiam, quia traditus
est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificatio-
nem nostram. Rom. IV, 24. 25. Quemadmodum enim Sal-
vator morte sua nos docuit, se pro peccatis nostris
passurum atque mortuum esse, Esa. LIII, 4. 5. Ita vicissim
Resurrectione suâ declaravit, se & nobis resurrectio-
nem & vitam promeruisse. Unde dicit: Vivo ego, &
vos vivetis. Job. XIV, 19. Ego sum resurrectio & vita, qui
credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet: Et quisquis
vivit, & credit in me, non morietur in eternum. cap. XI, 25. 26.
Invincibilis enim Conclusio Paulina est: Quis est, qui
condemnet? Christus is est, qui mortuus est, imo vero, qui
etiam suscitatus est: qui etiam est ad dextram Dei: qui et-
iam interpellat pro nobis. Cætera planè aurea lege
Rom. VIII, 33. 34. seqq. Hæc ergo soli Diei Dominico
maximopere conveniebant. Sed & illud huc perti-
net, omnem spem nostram positam esse in Resurre-
ctione

atione nostra, quæ à Christi Resurrectione dependet.
Job. XIX, 25. 26. 1. Cor. XV, 19 seqq. Hæc spes nobis primo statim die, qui Dominicus est, confirmanda omnino erat. Pulcherrime Petrus *1. Epist. I, 3. Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, NB. per Resurrectionem Jesu Christi ex mortuis in hereditatem incorruptibilem & incontaminatam & immarcescibilem.* Voluit præterea Christus docere nos, cum primo statim hebdomadis die à mortuis resurrexerit, æquum esse, ut & nos quovis primo die, quo peccamus, & per peccata cadimus atque morimur, resurgamus per pœnitentiam, & novam vitam inchoemus. *Rom. VI, 4.* Unde nullus nobis dies Dominicus absque vera pœnitentia abire debet. Nam cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Deus in Christo, *Eph. II, 5.* Et quomodo Christus surrexit à mortuis per Gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulare debemus. *Rom. VI, 4.* Quovis certe die Dominico audiendæ sunt voces excitatrices: *Surge, qui dormis, & exsurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Ephes. V, 14.* Beatus enim & sanctus, qui habet partem in Resurrectione prima, in his secunda mors non habet potestatem. *Apoc. XX, 6.* Hæc Vos, ô boni, quovis die Dominico meditamini, & vera pœnitentia exprimitis. Incipite nunc, & pergite, quamdiu vivitis. Accedite Nobiscum non solum ad audiendas conciones, & preces fundendas, sed & ad aram, ut, quemadmodum multi vestrorum hætenus fecerunt, munera offeratis. Ita agetis, quod Deo placet, quodque Vobis laudabile & salutare erit. Fiat! Fiat!
Prop. Publ. in Vigil. Paschat. A.E.C. clō Ibc IC.

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typogr.



